DE MITRA EPISCOPORUM

ACROASIS

ANTONII MARIAE CALCAGNO

S. TH. DOCT. CANONICI HONOR. CLODIENSIS
ET PROF. JURIS AC HIST. ECCLESIAST.

ILLUSTRISS. AC REV. D. D.

BERNARDO ANTONINO SQUARCINA

EPISCOPO CENETENSI

ECCLESIAM SUAM CATHEDRALEM PRIMO INGREDIENTI.

VENETIIS 1829
EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI EDIT.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

BERNARDO ANT. SQUARCINA

EPISCOPO CENETENSI

A. M. Calcagno

Ut primum tua mihi innotuit ad Episcopatum promotio, Tibi ex corde gratulatus sum, ea ductus praecipue, quam tecum viginti et amplius abhinc annis inivi, arcta necessitudine. Nunc Te videns tuam fausto pede adeuntem Ecclesiam, moerentibus Venetiis curialibus D.D. Johannis et Pauli, quos veluti pater dilexisti, et plaudentibus filiis,

quibus ad tui gloriam auctus nuper fuisti, cur non Te prosequar laetitiae meis et gratulationis signis? Jampridem id mihi proposui, ideoque scripsi hanc Acroasim, ut typis edita atque evulgata hodiernae meae exultationis perenne esset testimonium. Captum ergo consilium, Deo favente, perfectum est. En opus prodit inlustri tuo nomine honestatum, meique animi sensus aperit. Noli, obsecro, illud scrutari, quoniam nihil tua sapientia dignum in eo reperies. Haud valeo ingenio, nec facilis est mihi ars scribendi atque eruditionis copia, sed tantum bona voluntas. Hanc igitur humaniter excipe, et ingenitae tuae benignitatis oculis opus percurre.

DE MITRA EPISCOPORUM

Nemini arbitror dubium esse, quin Pontifices et Clericos sacris operaturos peculiari habitu uti oporteat, idque antiquissimo ritu, quem Sancta Catholica Ecclesia ut ab Apostolis acceptum, vel saltem immediate post Apostolos inductum, ad nostram usque ætatem transmisit. Quemadmodum enim in veteri Testamento Sacerdotes et Levitæ victimas Deo immolantes specialia adhibebant vestimenta, quæ in gazophilaciis seu in exedris deponere tenebantur antequam ad populum redirent (1); ita indecorum quam maxime visum est in Lege nova divina habitu ordinario celebrare mysteria, quorum umbra erant Mosaycæ Legis sacrificia. Menimenta sunt nobis in ecclesiasticis historiis meridiana luce clariora, quæ ita fuisse confirmant. Et quidem discimus ex Epistola 2. ad Timoth. 4. 13. Paulum Troade apud Carpium reliquisse *Penulam*, quam sacerdotalem ejus vestem appellat Tertullianus (2). Quod si hæc Tertulliani interpretatio in dubium revocatur a Scriptoribus, quia Chrysostomus, Hieronymus, Theophylatus (3) censent, penulam potius pallium fuisse ad frigus et pluviam arcendam; accipimus ab actibus S. Silvestri Pp. Euphrosium Pamphiliæ Episcopum adhibuisse in Missæ celebratione candidissimum colobium S. Jacobi Apostoli, et Theodosium Hierosolymitanum Antistitem usque ad annum 870 vestes sacras, quibus usus est idem Apostolus, conservasse (4): accipimus a Johanne Diacono Gregorium magnum dono habuisse vestes, quibus Johannes Apostolus et Evangelista celebrare consueverat (5): accipimus denique a Hieronymo divinam religionem

(1) Hieronym. in Ezech. c. 44.
(2) De orat. 12.
(3) A Lapide in Epist. ad Timot. II.
(4) Apud Thom. Valdens. t. 3. c. 29. num. 13.
(5) In vita D. Gregor.

alterum semper habuisse habitum in ministerio Altaris, alterum usu vitaque communi (6).

Quæ cum ita sint, haud immerito visum est mihi perutilem fore ecclesiasticis præsertim personis brevem de singulis sacris indumentis tum Pontificum, tum Sacerdotum cæterorumque Clericorum tractationem, quam distinctis saltem dissertationibus pro viribus perficere constitui statim ac non indignam eruditorum oculis fuisse cognovi, quam de Pallio Metropolitarum scripsi, Acroasim. Hinc est quod nunc de Mitra Episcoporum disserere aggredior.

Mitra, si vim nominis spectemus, nihil aliud indicat, quam quoddam capitis ornamentum. Ita Hieronymus (7) & cuncti divinorum librorum expositores in textum Isaiæ cap. 3, v. 19. *& monilia & armillas & mitras*, atque Judith 10. 4. *Et imposuit mitram super caput suum.* Apud Jonios, Ægyptios, Syrios, Phrygios & Lydos mitra erat pileus incurvus fascia circumdatus, & redimiculis instructus, quibus a mento religaretur. Si autem Claudianus asserit (8) hunc pileum viris fœminisque fuisse communem; docemur a Virgilio (9) quod redimicula erant fœminarum tantum Phrygiæ ornamenta, quæ phylla dicebantur, quoniam foliorum instar pendebant. Exprobat ille Trajanos & appellat eos vere Phrygias, & non Phrygios, quia ut se exprimit:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Quod profecto confirmatur Ovidii testimonio ita scribentis: *Simularat anum mitraque capillos presserat* (10). Græci Mitram vocant non solum quemlibet capitis ornatum, sed quoque fasciam in loricæ modum contextam ad latera defendenda: nam latine ligamen significat, & ligamine utebantur ad capitis ornamentum vinciendum. Apud Romanos gestamen fuit barbararum mulierum & virorum externum cultum affectantium, prout Forcellinus (11) deducit ex Cicerone (12) atque ex

(6) Hieronym. l. 1. in Ezech.
(7) In Isai. 3. 19.
(8) Lib. I. de laudib. Stilicon. v. 156.
(9) Æneid. lib. 9. vers. 616.
(10) Fast. 4. vers. 517.
(11) V. Mitra.
(12) De Harusp. resp. c. 21.

laudatis locis Virgilii & Ovidii. Verum Isidorus, quid sit mitra explicans, ait: *Mitra est pileum phrygium caput protegens... sed pileum virorum est, mitræ fœminarum* (13). Equidem apud Christianos nuncupatum invenimus hoc nomine illud ornamentum capitis, quod mulieres deferebant. In Africa mitra lanea purpurei coloris signum erat virginitatis Deo dicatæ sicut hodie est in monialibus. *Felix*, inquit Optatus Milevitanus (14), *inter crimina sua & facinora nefanda ab eo comprehensam puellam, cui mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante Pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit.* Quod etiam constat ex Isidoro, qui loco laudato Mitram appellat *ornamentum capitis devotarum.* Nec tantum virgines, sed & matronas colligimus suas habuisse mitras ex descriptione indumentorum S. Silviæ matris D. Gregorii, quam tradidit Johannes Diaconus. Etenim inquit: *Ferens in capite matronalem mitram* (15). Quamobrem recte scripsit Franciscus Baldoinus (16): *Ut autem erant virginales* (mitræ) *sic & matronales: nam nuptæ Matronæ aliter quam Virgines caput velabant & ornabant.*

Sed a nominis natura ad rem, cujus pertractationem inivimus, propius accedamus. Mitram dicimus sacrum illud capitis ornamentum, quo Episcopi divina operantes utuntur, in angustum assurgens, fasciolis duobus ex posteriori parte dependentibus instructum. Nec tantum Mitræ voce ornamentum hoc a scriptoribus nuncupatur, sed diversa eidem nomina reperimus tributa. Dicitur *apex* in ms. passione D. Marci laudata a Martenne (17): *Sertum cum gemmis* ab Ennodio (18): *Corona* a Hieronymo (19), Sidonio (20) & Ammiano Marcellino (21): *Corona gloriæ* ab Eusebio (22): *Pileum, Galea & Tiara* ab Isidoro (23): *Cidaris* ab Anselmo Episcopo Lucensi (24): *Infula* ab Hugone de S. Victore (25): *Phrygium* a Nicephoro (26). De nonnullis ex hisce nominibus perpauca exponere opportunum duco, cæteris missis, nimirum *Sertum, Corona, Pileum, Galea,* quorum signifi-

(13) Lib. 19. orig. cap. 31.
(14) Lib. 2.
(15) In vita D. Greg. cap. 83.
(16) In Optat. lib. 6.
(17) De antiquis Ecclesiæ ritibus l. 1. cap. 4. art. 1. n. 16.
(18) Epigram. 77.
(19) Epist. ad Augustin.
(20) Lib. 3. Epist. ad Euphron. Episc.
(21) Hist. lib. 29.
(22) Orat. ad Episc. in Dedic. Eccl. Tyri.
(23) Apud Macrium V. Mitra.
(24) Epist. ad Wibert. Antipap. n. 17.
(25) Apud Macrium V. Mitra.
(26) Hist. Eccl. lib. 14. c. 34.

catio manifeste patet. Arbitror Mitram appellatam fuisse *Apicem* tum ex eo, quod in vertice capitis ponitur, tum etiam quia *Apex* dicebatur pileus ille subtilis, quo sacerdotes gentium in sacrilegis eorum sacrificiis utebantur, ab antiquo verbo *apere*, hoc est vincire juxta Festum (27). Idem notat Isidorus (28) ac Origenes (29), & confirmatur textu illo Valerii (30): *At Sulpitio inter sacrificandum e capite apex prolapsus, eidem sacerdotium abstulit.* Tiaram vocant Græci, ut tradit Hieronymus (31), rotundum pileolum, quem nonnulli galerum nuncupant. Apud nos Tiara exprimit Mitram seu potius ornamentum illud R. Pontificis, quod vulgo appellatur Triregnum (32). *Cidaris* vocabulum desumptum videtur aut a corona Regis Persarum, scribente Q. Curtio (33): Cidaris *Regum capitis vocant insigne*, aut a Mitra Pontificis Hebræorum. Animadvertit tamen Origenes (34) *Cidarim* in veteri Testamento non fuisse mitram. *Propterea accipit* cidarim, *quod est vel operimentum quoddam capitis, vel ornamentum, & post hoc superimponitur ei mitra. Infula* juxta Du-Cangium (35) denotat imperiale diadema, vel fascias indicat ad tegendum aut ornandum caput. Isidorus vero *infulam* accipit pro fasciola Sacerdotalis capitis alba in modum diadematis, a quo vittæ ab utraque parte dependent, quæ Mitram vinciunt (36). Cum Isidoro concordat Festus (37) unde a fluitantibus post cervicem *infulis* inferre possumus hoc nomen Mitræ datum fuisse. Et a ligamine sive velo quatuor digitos lato more phrygio acupicto, quod olim circumdabat mitræ limbum, eamque constringendo firmabat, & pendens a tergo per duos palmos remanebat, docet Macrius (38), invectum fuisse nomen *Phrygium*, & ornamento, de quo pertractamus, tributum.

At, quæ de Mitræ nomine hactenus exposuimus, sufficiant: quæramus modo quando ejus usus in Ecclesia cœperit. Hic nobis se offert Onuphrius Panvinus eruditissimus scriptor sæculi XVI, qui ad calcem Vitarum Summorum Pontificum in explicatione vocum obscurarum arbitratur: *Mitrarum usum in Ecclesia Romana non ante sexcen-*

(27) V. Apex.
(28) Lib. 9.
(29) Cap. 30.
(30) Lib. 1.
(31) Epist. ad Fabiol.
(32) Macri V. Camelaucium.
(33) Lib. 3.
(34) In Lev.
(35) In Gloss.
(36) Lib. 19. cap. 30.
(37) V. Infula.
(38) V. Mitra.

tos annos esse. Huic sententiæ patrocinari conatus est Nicolaus Hugo Menardus inquiens: *Existimo vix ante annum post Christum natum millesimum mitræ usum in Ecclesia fuisse* (39). Verum & alii viri doctissimi, uti referunt Johannes Bona (40) & Joseph Catalanus (41), sententiam eamdem propugnarunt, tum quia in tabulis ceterisque antiquitatis monumentis, in quibus Pontifices Maximi & reliqui Antistites pontificalibus omnibus ornamentis induti delineati cernuntur, nudo sunt capite, tum quia antiqui libri Pontificales ante sæculum XI conscripti, atque pervetusti rerum Ecclesiasticarum scriptores nimirum Amalasius, Rabanus, Alcuinus aliique, omnia episcoporum ornamenta accurate recensentes, de Mitra prorsus silent. At Andreas de Sausgay (42), Joseph Vicecomes (43), Christianus Lupus (44) aliique hoc argumentum pertractantes strenue defendunt, Mitræ Episcopalis usum haud sæculo XI obtinuisse in Ecclesia; sed ad apostolicam traditionem referri. In tanta scriptorum dissensione suam proferunt opinionem, & clariss. Bona (45) & eruditus Martennius (46) qua utramque sententiam conciliare student. Bona existimat *mitram qualis est hodie nuper ornatum esse qui ante millesimum Christi annum vix fuit in Ecclesia, negari tamen non posse, quin a temporibus Apostolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter si non omnes, aliqui saltem Episcopi usi sunt.* Martennius autem alia ratione idem scopum quærit asserens cum Mabillonio (47), mitrarum usum omni tempore in Ecclesia viguisse, sed omnibus & singulis Episcopis absque speciali sedis Apostolicæ permissu non fuisse licitum.

Hisce itaque expositis, nobis videtur opinionem Martennii & Mabillonii ceteris esse præferendam, quippe quæ plurimis argumentis evincitur, & facillime cum Bona conciliari potest. Etenim tradit Epiphanius (48) Jacobum Apostolum uti Episcopum Hierosolymorum laminam seu bracteam auream in fronte gestare consuevisse, eodemque capitis ornamento usum fuisse Johannem Evangelistam, narrat

(39) In not. ad Libr. Sacrament. D. Greg. Pp. pag. 362.
(40) De rebus Liturgic. lib. 1. cap. 24.
(41) Comment. in Cærem. Episc. c. 17. § 1. n. 6.
(42) Lib. 1. Panopl. Episc.
(43) Lib. 3. De apparat. Miss. cap. 29.
(44) Dissert. de octav. Synod. cap. 10. act. 1.
(45) Loc. laud.
(46) De antiq. Eccl. Ritib. l. 1. c. 4. art. 1. num. 15.
(47) Praef. ad part. 2. Sæc. IV. Bened.
(48) Hæres. 29. et 78.

Polycrates Ephesiorum Antistes in ea, quam ad Victorem Pontificem scripsit, Epistola (49). Quod de D. Johanne confirmat Hieronymus (50) inquiens: *Johannes, qui supra pectus Domini recubuit Pontifex Ephesi auream laminam in fronte portans*, & notat Catalanus, Hieronymum græcam vocem πεταλον a Policrate usurpatam appellasse laminam, quam alii Mitram vocant (51). De reliquis Apostolis nihil scriptum invenimus, sed jure meritoque a recensitis exemplis infert Baronius, idem de illis quoque esse sentiendum (52). An vero hæc lamina seu bractea dicenda sit mitra, præter illud, quod ex Catalano superius retulimus circa vocem πεταλον, subjungimus,id conjicere Baronium ab usu veteris legis Sacerdotum. Si enim præceperat Dominus, ut habetur Exod. 28: *tiaram in capite et laminam sanctam super tiaram*; videtur & Apostolos ad exemplum veterum Sacerdotum adhibuisse laminam & tiaram seu mitram, vel mitræ fuisse aut coronæ laminam illam illigatam, ut recte argumentatur Thomassinus (53). Menardus, qui contrariam, uti notavimus, sententiam tenet, cum quæ exposuimus refellere non possit, in eo labitur, quod laminas illas Apostolorum, ut in eis incæpisse, sic et in eis desiisse adfirmat. Verum, & mitram fuisse Episcopis sequentibus sæculis, elucet ex Eusebio, qui sæculo IV floruit; nam in ea, quam habuit oratione ad Episcopos in Dedicatione Ecclesiæ Tyri, ita loquitur: *Amici Dei & Sacerdotes, qui sacra tunica talari induti, et cœlesti gloriæ corona decorati*: patet etiam eodem sæculo ex Gregorio Nazianzeno, qui in suo apologetico scripsit: *Idcirco me Pontificem ungis, ac podere cingis, capitique* cidarim *imponis*: constat quoque ex Ammiano Marcellino, qui sub finem ejusdem sæculi exposuit (54), quod Mascizel tyrannus in Africa devictus a Theodosio, ut Imperatoris sibi conciliaret gratiam *militaria signa & coronam sacerdotalem cum cæteris, quæ interceperat, restituit*. Præterea narrat Nicephorus (55) in Synodo Ephesina, quæ fuit III Œcumenica habita sæculo V Cyrillum Alexandrinum sedisse cum *Phrygio*, ut constaret eum habere jus & auctoritatem Cælestini Pontificis Maximi. La-

(49) Apud Euseb. Histor. lib. 5. c. 25.
(50) De Script. Eccl. et in Epist. ad Gal. cap. 1.
(51) Loc. laud. num. 1.
(52) Ad ann. 34. num. 194.
(53) De Antiq. et nova Ecclesiæ Discipl. p. 1. lib. 2. cap. 45. num. 5.
(54) Hist. lib. 29.
(55) Hist. Eccl. lib. 14. cap. 34.

bente eodem sæculo V vixit Ennodius, qui ita cecinit de Mitra S. Ambrosii Mediolanensis Antistitis (56):

Serta redimitus gestabat lucida fronte
Distincta gemmis ore parabat opus.

Sæculo IX coactum fuit Concilium Œcumenicum VIII hoc est Constantinopolitanum IV & in actione prima legitur Theodosium Hierosolymorum Patriarcham ad Ignatium sanctissimum Præsulem transmisisse poderem & superhumerale cum Mitra & pontificalem ornatum S. Jacobi fratris Domini, *quo*, ut ait, *antecessores mei patriarchæ circumamicti semper in sancta sanctorum ingrediebantur*. Floruit eodem sæculo Theodulphus Aurelianensis Antistes, qui de Ornamentis pontificis hæc habet (57):

Illius ergo caput resplendens Mitra tegebat.

Denique, ut cætera mittam, antiqua exstat effigies lapidea S. Petri ante annos mille erecta, ut testatur Martennius (58) ad portam Basilicæ Corbejensis monasterii, cui mitra est oblonga & rotunda, cui similes sunt mitræ quibus ornatæ cernuntur fere omnes Summorum Pontificum imagines, quas ex antiquis Romanæ Urbis monumentis ære incisas repræsentant Bollandiani in fine Propylæi ad Acta Sanctorum mensis Maji.

Ex iis igitur facile intelligitur, quod Martennii & Mabillonii sententia solidis argumentis innititur. Neque ita sentientes clariss. Bonæ nos opponi videmur. Adfirmat ille, uti notavimus, ornamentum capitis fuisse summis Pontificibus & aliquibus saltem Episcopis a temporibus Apostolorum, & nos de Mitræ forma, neque de ejus usu cunctis Episcopis communi ante annum Christi millesimum haud disputamus. Scimus quidem formam Pontificalium ornamentorum medio ævo fuisse mutatam, prout habetur apud Bollandianos (59); at quemadmodum Casula Sacerdotalis & ea dicebatur, quæ antiquis tem-

(56) Epigram. 77.
(57) Carm. 3. lib. 5.
(58) Lib. I. cap. 4. art. 1. num. 14.
(59) Propyl. Maji in append. de form. Pallii etc.

poribus erat in Ecclesia, & ea, qua hodierna die utimur, quamquam forma sit prorsus diversa; ita opinandum esse de Mitra arbitramur, & ea maxime ducti ratione, quia, ut patet ex præmissis, nomine Mitræ nihil aliud intelligitur, quam capitis ornamentum. Quare de antiqua Mitræ forma disserere ingredior, & successive de iis qui ante sæculum XI hoc ornatu uti poterant.

At quam obscuram & perdifficilem aggredior quæstionem! Romæ in ecclesia S. Martini de Monte asservatur S. Silvestri Mitra, quæ, uti refert Macrius (60), rotunda est, altitudinis unius palmi, acuta, opere phrygio acupicta, serico cæruleo & auro, in quo effigies B. Mariæ Virginis suum divinum infantem amplectentis, & hinc inde duorum Angelorum Dalmaticis Diaconalibus indutorum. Sed de hac Mitra sicut etiam de Mitris S. Augustini aliorumque sanctorum Episcoporum ab hodiernis parum dissimilibus, quæ inter Lipsana quarumdam ecclesiarum pie custodiuntur, nullum fert judicium eminentissimus Bona (61). Verum Macrius laudatus, & aliam Mitram commemorat, quæ olim erat in effigie S. Paschalis sub porticu S. Cæciliæ Transtyberinæ Ecclesiæ, quæque eamdem formam ferebat, ut illa S. Silvestri. Bollandiani in Propylæo Maji effigies repræsentant plurium Pontificum cum mitra rotunda & acuminata, atque in appendice de forma Pallii imaginem exhibent S. Nicolai Pp. cum Mitra habente cornua obtusiora ac fere nulla. Catalanus (62) refert, quod in Codice ms. Pontificali sæculo IX exarato, & figuris insignito, qui exstat Romæ in Bibliotheca Casanatensi, pertinuitque ad Ecclesiam Capuanam, cernitur Episcopus cum quodam ornatu capitis formæ quadratæ. Quid ex his sit inferendum, definire non valeo. Nihilominus arbitror, Mitram fuisse semper rotundam in angustum desinentem, sed minoris altitudinis & elegantiæ qua hodie Antistites ornantur. Desumpta enim fuit a Tiara veteris Testamenti, ut tradit Honorius Augustodunensis (63), cui forma fere similis erat, & quemadmodum Mitræ hodiernæ elegantiores quidem sunt, sed similes Mitris sæculi XIII, ut nobis evincit Mitra D. Antonini Archiepiscopi Florentini, quam domestico suo Oratorio religiosissime custodit inter alias sacras Sanctorum Reliquias amicus meus Franciscus Andreas Maggia

(60) V. Mitra.
(61) Loc. laud.
(62) Loc. laud. num. 8.
(63) Lib. I. Gemmæ cap. 214.

Presbyter de Montesilice; ita conjicio, fretus quoque argumentis superius relatis, non dissimiles, quoad formam, fuisse Mitras veterum Episcoporum. Nec refert, quod in citato ms. Pontificali Ecclesiæ Capuanæ appareat delineatus Episcopus cum ornatu in capite formæ quadratæ, quoniam, ut prætulimus, & modo comprobare debemus, Mitra ante sæculum XI nequaquam erat communis omnium Episcoporum ornatus.

Quod profecto tenent Bona & Martennius cum Mabillonio, sed ille hoc dumtaxat asserit, hic autem argumentis probat. Leo IV, inquit, sæculo IX concessit Mitræ usum Anscherio Harumaburgensi, ejusque successoribus. Idem privilegium indulsit Alexander III Godewaldo Trajectensi Episcopo. Ergo, concludit, ex privilegio tantum olim licebat Episcopis uti Mitra, alioquin inutiles fuissent pontificiæ illæ concessiones. Revera & eruditissimus Goarius (64) inquirens causam, ob quam nullus apud Græcos exstat Mitræ usus præterquam in Patriarchis, ut dicemus, in eamdem incidit sententiam. Notat enim, quod nonnulli Græci contendunt Mitræ usum non esse in Orientali Ecclesia, quia non est perantiquus nec apud Latinos: quod alii Græcorum putant id factum esse ex eo, quia fere omnes Pontifices in Oriente a Monachis sunt desumpti, qui humilitatis servandæ proposito monachalem cucullum, relicto capitis ornatu augustiori retinere maluerunt: quod Græcus quidam id accidisse arbitratur ex summa Antistitum erga Imperatores reverentia, ne infulati incedentes regios honores sibi decernere viderentur: quod Simon Thessalonicensis autumat, hunc usum non acceptasse Pontifices Orientis, quia oportet nos Christum venerantes caput inter orandum nudatum habere; & his cunctis rejectis, laudat causam quæ eruitur a sententia Balsamonis (65) ajentis Patriarcham Alexandrinum Mitræ gestandæ honorem habuisse a R. Pontifice, hoc est usum Mitræ ex Sedis Romanæ privilegio pendere. Cæterum hodie Orientis Patriarchæ inter sacras actiones tiaram deferunt quatuor crucibus coruscam, & Constantinopolitanus eam habet similem R. Pontificis. Præterea inter Orientales Mitra utuntur Maronitæ, Nestoriani & Jacobitæ, quæ ipsorum capiti imponitur, dum ordinantur, ut ex eorum Ritualibus apud Morinum colligitur.

(64) Euchol. Græc. in notis ad Episc. ordinat.
(65) Medit. de Chartophyl. et Proted. vers. fin.

Igitur sæculo saltem XI Mitræ ornamentum cœpit apud omnes Occidentis Ecclesiæ Episcopos, quod confirmatur Pontificali Romano ms. Bibliothecæ Colbertinæ edito a Martennio (66) annorum, ut ipse adfirmat, circiter 900, & Pontificali item ms. insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria anno 1214 scripto (67) cum Latini ecclesiam illam occuparunt, suosque usus ac ritus in eam invexerunt. In his enim Codicibus habetur ordo ad vocandum & examinandum seu consecrandum electum in Episcopum juxta morem Ecclesiæ Romanæ, & in eo legitur: *Completa Missa & recepta benedictione a Pontifice, ac tersa corona cum mica panis, imponitur consecrato Mitra.* Sed ad Mitræ speciem procedamus.

Triplicem Mitræ speciem jubet Cæremoniale Episcoporum (68), nempe pretiosam, auriphrygiatam, simplicem. Pretiosa dicitur, quæ gemmis & lapidibus pretiosis est contexta, vel laminis aureis aut argenteis: auriphrygiata, quæ parvis aliquibus margaritis vel ex serico albo auro intermixto, vel ex tela aurea sine laminis & margaritis constat: simplex, quæ serico dumtaxat damasceno, vel alterius generis confecta est, aut etiam tela linea albi coloris cum rubeis laciniis seu frangiis e vittis pendentibus. Antiqua est hujusmodi Mitræ distinctio, quoniam ejus meminere non tamquam suo tempore adinventæ, sed ut in Ecclesia pridem usitatæ, tum Durandus (69), tum antiquus Ordo Romanus jussu conscriptus Gregorii X (70) atque adeo degente Romæ Durando: Gregorius enim creatus fuit Pontifex anno 1271, & tribus annis tantum cum novem mensibus Ecclesiam administravit. Porro idem Cæremoniale citato capite triplicis Mitræ usum designat, nimirum pretiosæ in solemnioribus festis, & generatim quandocumque in Officio dicitur hymnus *Te Deum* & in Missa *Gloria in excelsis*: auriphrygiatæ ab Adventu Domini usque ad festum Nativitatis excepta tertia Dominica Adventus, a Septuagesima usque ad feriam quartam majoris hebdomadæ excepta quarta Dominica Quadragesimæ, tum etiam in diebus jejunii, in Rogationibus, Litaniis & Processionibus quæ pœnitentiæ causa sunt, nec non in festo Ss. Innocentium, nisi occurrat die Dominico & in benedictioni-

(66) Lib. 2. cap. 8. art. 2. ord. 17.
(67) Ibid. ord. 14.
(68) Lib. 1. cap. 17.
(69) Rational. Divin. Offic. l. 3. c. 17.
(70) Apud Mabillon. tom. II. Mus. Italic. num. 12.

bus atque consecrationibus, quæ private aguntur: simplicis tandem feria sexta in Parasceve, & in Officiis ac Missis Defunctorum. Nihilominus licet Episcopis loco pretiosæ uti mitra auriphrygiata commoditatis causa, & propterea solent adhibere pretiosam in principio & fine Missarum & Vesperarum necnon eundo ad Ecclesiam, & redeundo ab eadem, & ad manuum lotionem, & ad solemnem Benedictionem, cæterum auriphrygiatam accipiunt. Item eis licet uti Mitra simplici pro auriphrygiata quoties loco pretiosæ auriphrygiatam adhibent. Scimus vero ex Augustino Patricio, qui sæculo XV floruit R. Pontifici præter allatas Mitras & Tiaram sive Triregnum aliam esse Mitram, quæ dicitur pretiosior. Hac ornatur in majoribus solemnitatibus, pretiosa autem diebus minus solemnibus, & in Consistoriis (71).

Cum vero singula sacra indumenta propriam habeant mysticam significationem, hic quid Mitra exprimat investigandum censeo. In Pontificali ms. Ecclesiæ Mogantinæ, quod a Martennio (72) refertur ad sæculum XIV, hanc legimus formam in impositione Mitræ super caput consecrati: *Pono signum in capite tuo, ut nullum præter ipsum creatorem tuum amatorem admittas in nomine Domini.* Quare Mitra potest accipi pro signo dilectionis in Deum juxta illud Deuteronomii (73): *Diliges Dominum Deum tuum ...... eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo .... et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, et movebuntur ante oculos tuos.* Verum in Pontificali Romano aliam formam reperimus verbis deprecatoriis expressam, quæ sacri hujus ornamenti sensus clarius aperit. Mitra appellatur in ea faciei decor munitionis & salutis galea, qua Antistes protectus terribilis evadit adversariis veritatis. Quod sane diserte confirmat Innocentius III loquens de Mitra Summorum Pontificum. Mitra, inquit (74), significat magnificentiam Christi, cujus vices gerit Antistes: duo cornua exprimunt scientiam utriusque Testamenti, quæ splendere debet in ecclesiasticis Pastoribus: duæ fasciæ super humeros dependentes symbolum sunt spiritus & literæ in divinis Scripturis absconditæ, quia Præsul debet super humeros portare id totum, quod ore docet.

(71) Sacrar. Cæremon. Rom. Eccles. lib. 3. sect. 5. cap. 9.
(72) Lib. 2. cap. 8. art. 2. ord. 16.
(73) Cap. 6. 5.
(74) Cap. 50.

Hactenus de Episcoporum Mitra, superest hic nobis nonnulla tradere de Mitris, quibus Prælati episcopali charactere non insigniti ex Summorum Pontificum privilegio utuntur. Mitram itaque gestant sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Abbates necnon Dignitates & Canonici in pluribus Ecclesiis Cathedralibus. Quod ad Cardinales attinet non ita facile est, hujus privilegii originem apud nos reperire. Ex Georgio constat (75) antiqua haberi de hac re monumenta, quæ profecto referuntur ad sæculum XII. Exstat enim Diploma Innocentii II anni 1130 quo Monasterio Viudocinensi confirmavit largitionem ipsi factam ab Alexandro II Ecclesiæ S. Priscæ in Urbe, tribuens Abbatibus ornamenta Pontificalia jam Cardinalibus adsignata, inter quæ, ut colligitur ex literis Innocentii III ad Hamelinum ejusdem Monasterii Abbatem, Mitra erat. Præterea habetur in gestis Pontificum Leodiensium (76) Cælestinum III anno 1192 constituisse Cardinalem Ægidium aureæ Vallis Monachum, & *imposuisse Mitram capiti ejus, et inter Cardinales eum fecisse considere*. Errat vero Dufresnius (77) asserens Mitram fuisse Cardinalibus antequam pro capitis ornamento galerus eis esset assignatus in Concilio Lugdunensi anno 1245. Et post hoc Concilium, & post acceptum galerum rubeum ab Innocentio IV mitram Cardinales gestarunt & gestant, quoties sacris ornamentis induti divinis Mysteriis intersunt.

Modo de Mitra Abbatum. Eam cæpisse sæculo XI contendunt aliqui, utpote concessam primum ab Urbano II anno 1091 S. Petro Cluniacensi Abbati, qui tamen humilitatis causa noluit illa ornari: alii eodem sæculo obtinuisse adfirmant docentes paulo ante nempe anno 1040 ea decoratum fuisse a Leone IX Abbatem S. Justinæ Patavinæ: alii Bullario Casinensi innixi tradunt Theodorum Papam 4 Kalend. Maji anni 543 hoc privilegium jam ab Honorio I. Abbati Bobiensi tributum confirmasse: nonnulli denique arbitrantur Abbatum mitram incœpisse ipso anno millesimo, facta ejus concessione a Silvestro II Placentino sancti Savini Abbati. At procul omni dubio constat, quod Petrus Blesensis qui floruerat initio sæculi XIII vehementissime admirabatur, quia Wilelmus in Sicilia Monachorum Ab-

(75) Liturg. Rom. Pontif. cap. 26. num. 7.
(76) Cap. 61.
(77) Epist. 90. In Gloss. V. Mitra.

bas pontificalia indumenta usurpaverat. *Retulit mihi*, scripsit (78), *quidam Nuntius vester, qualiter Dominus Papa vos Mitra proprii capitis, et aliis ornamentis Episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo, sed insignia episcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto. Mitra enim et annulus et sandalia in alio, quam in Episcopo quædam superba elatio est.* Cæterum, ex iis, quæ refert Catalanus, manifeste evincitur hunc usum quam maxime frequentari cœpisse Urbano II Pontifice (79). At Episcopi permoleste id tulerunt, unde cum quererentur, quod in Synodis nulla esset distinctio inter eos & Abbates hoc usu gaudentes; id discriminis instituit Clemens IV (80), ut in Synodis exempti mitris auriphrygiatis, sed sine gemmis laminisque aureis vel argenteis, non exempti simplicibus albis & planis utantur. Verum Praemonstratenses communi omnium Abbatum sui ordinis voto statuerunt, quod nemo ex Abbatibus Mitram vel chirothecas adhibeat. Et id confirmavit Innocentius III (81) decernens, ut si qua forsan ecclesia latioris Ordinis voluerit regulam Præmonstratensium profiteri hujusmodi Pontificalibus etiamsi ea prius habuerit ulterius non utatur.

Veniam ad Dignitates & Canonicos. Ex Literis Leonis IX ad Hartuvicum Episcopum anno 1052 datis patet eum Mitram gestandi licentiam fecisse Canonicis Bambergensibus, & testatur Martennius (82) se legisse eumdem Pontificem Bisuntinis Canonicis permisisse, ut Diaconus & Subdiaconus ad Altare ministrantes Mitris ornarentur. Tradit insuper Pagius (83) Canonicos Pictavienses, Lugdunenses, Anicienses, Matisconenses Ecclesiæ S. Petri, & Brivatenses S. Juliani Mitram gestare: Macrius plures recenset Ecclesias Cathedrales, in quibus Dignitates & Canonici hoc Pontificio indulto fruuntur (84); & perlongum esset recensere insignes Italiæ Ecclesias, in quibus Dignitates & Canonici hoc ornamento gaudent, quod tamen facile haberi potest in Italia sacra clariss. Ughelii. Cæterum Mitram si Canonici deferunt dum celebrant, ipsis esse imponendam & deponendam per alios, dum vero Choro assistunt per se ipsos, decrevit sacra Rituum Congregatio in Lucana 20 Aprilis 1602 (85).

(78) Epist. 90.
(79) Loc. laud. num. 16.
(80) Ut Apostolicæ De privileg. in 6.
(81) Epist. 196. apud Mart. lib. 2. cap. 1. num. 4.
(82) Lib. 1. cap. 4. art. 1.
(83) Breviar. Gest. RR. Pontific. n. 16.
(84) V. Mitra.
(85) Apud Barbosa in Summ. Apostolic. Decis. collect. 401. n. 2.

Prætereundum tandem non est, quod & sæcularibus quandoque Principibus Mitræ usus concessus fuit a Romanis Pontificibus. Alexander II anno 1068 id primum fecit Uratislao Duci Bohemiæ, uti colligimus ex Gregorii VII Epistola ad eumdem Ducem. Etenim scripsit (86): *Ad signum intimæ dilectionis quod laicæ personæ tribui non consuevit, mitram, quam postulasti, direxi.* Lucius II, inita pace cum Principe Siculo anno 1144, dedit eidem, prout habetur in Epistola Arnaldistarum ad Conradum Regem Romanorum, *virgam et annulum et dalmaticam et Mitram atque sandalia* (87). Mitram denique Regi Aragoniæ tradidit Innocentius III anno 1204, ut ex ejus epistola liquet apud Rainaldum (88) & apud Pagium (89) *in signum gratiæ specialis.*

(86) Lib. 1. Epist. 38.
(87) Oth. Frising. de gest. Frideric. lib. I. c. 28.
(88) Ad ann. 1204. num. 71.
(89) In Vita Alexand. II. num. 51.